

videtur intendere, dum v. seq. peculiare pascendi munus per præceptum eis imponit; & hi sunt ejusmodi *Presbyteri*, quos *Spiritus Sanctus* in gregibus posuit *Episcopos*, pascere *Ecclesiam Dei* quam acquisivit proprio sanguine suo, Act. XX. 28. quique labo- rant in verbo, & *Doctrina*, 1. Tim. V. 17. Hæc præparatio Seniorum respicit juniores, qui sunt *Auditores*, sicut ipsi *Doctores*, & consistit in verbi prædicatione, & *Sacramentorum*, imprimis *Baptismi* administratione, qua ratione Seniores parturiunt cum *Paulo* juniores, ut *filiolos suos*, donec formetur *Christus* in eis Gal. IV. 19. aut, sicut *Jacobus* inquit, c. I. 18. Verbo veritatis generant, ut fiant *primitiæ Creaturarum Spiritualium*; vel, ut *Petrus* in hac *Epistola* C. I. 23. scribit, regenerantur fideles, non ex *Semine corruptibili*, sed *incorruptibili*, per verbū *DEI* vivū, quod permanet in aeternū.

10. (2) In apparatu *Testimonialis Status*, quia ministri fideles sunt *Testes passionum Christi*, & ejus, qua in futuro revelanda est, *Gloria*; siquidem *Presbyteri junioribus* post regenerationē sunt *Testes Christi*, cum primis *passionum ejus*, & *Gloria*, sicut *Paulus* scribit, 1. Cor. II. 1. Quod, cum venerit ad *Corinthios*, non venerit in sublimitate sermonis, & *Sapientia*, sed annuncians *Testimoniū Christi*, & quidem ita, ut judicaverit, se nihil quicquam inter ipsos scire, nisi *Jesum Christum*, & hunc *Crucifixum*: sicut etiam *Christus* omnes *Apostolos* *Testes Passionum*, & *Gloria* suæ, post resurrectionem ante *Gloriosam ascensionem*, constituit Luc. XXIV. 4. Sic oportebat *Christum* pati, & resurgere à mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus *pœnitentiam*, & *remissionem peccatorum*, in omnes gentes, incipientibus ab *Hierosolyma*. Vos autem *TESTES* estis horum, nimirum quæ concernunt *passionem*, & *Gloriam*: sicut idem repetitur Act. I. 8. Accipietis *virtutem Spiritus Sancti*, & eritis mihi *TESTES* in *Hierosolyma*, & in omni *Judea*, & *Samaria*, & usque ad ultimas terras Confer. *Job*. XIV. v. 26. 27.

11. [3] In Apparatu *Pastoratus* v. 2. *Pascite*, qui in vobis est, *gregem Christi*: sicut enim *Petro* dixerat *Christus*: *pasce meas oves* v. 15. & quod maxime notam merebatur, id trina voce repetierat v. 16. & 17. idem subjiciendo, & tum *interrogatione* præcedenti: *Simon Jona, amas me?* connectendo, quod in *Petro* *tristitiā non vulgarem commoverat*, sicut *Evangelista* testa-

tur: